WISSENSCHAFTLICHE BEILAGE ZUM JAHRESBERICHT DES LEIBNIZ-GYMNASIUMS ZU...

Leibniz-Gymnasium (Berlin, Germany)



Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Leibniz-Gymnasiums
zu Berlin. Ostern 1890.

Tulliana

scripsit

Ernestus Lohsee
dr. phil.

BERLIN 1890.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.

1890. Programm Nr. 62.

Quae in perlegendis Ciceronis orationibus et scriptis philosophis, ubi in verbis haerebam, inspecta librorum lectione et examinatis virorum doctorum explicationibus aut emendationibus ipse interdum immixtis grammaticis quaestionibus adnotavi, eorum partem hac scribendi occasione oblata expromere in animo est. sed cum morbus oculorum impediret, ne multa legerem aut scriberem, diligentius retractare, quae olim scripseram, non licuit adhibitis libris postea editis in primisque auxilio a Mergueti lexicis Ciceronianis petito.

Quinct. 49 aspera et vix ferenda haec est oratio: *at non nemo aut ignominia adfectus aut iudicio turpi convictus bonis quidem suis utitur, alterius opes, id quod miserrimum est, non exspectat, hoc tamen in miseriis adiumento et solacio sublevatur.* aut enim per asyndeton sic fere erat dicendum: 'at non nemo aut ignominia adfectus aut iudicio turpi convictus bonis quidem suis utitur, alterius opes . . . non exspectat, contemnit vulgi opinionem' aut, id quod Ciceronem voluisse libri docent, ad hunc modum altera et tertia pars enuntiati adnectenda: 'at non nemo . . . bonis quidem suis utitur neque alterius opes . . . exspectat sublevaturque hoc tamen in miseriis adiumento et solacio'. quod cum erui ex librorum scriptura nullo modo possit, Cicero sic videtur haec elocutus esse: *at non nemo aut ignominia adfectus aut iudicio turpi convictus, bonis qui quidem suis utitur, alterius opes . . . non exspectat, hoc tamen in miseriis adiumento et solacio sublevatur.* nam indicativus post *qui quidem* recte positus est, sed propter Draegerum (Synt. hist.[2] II 527sq.) vide, quid Madvigius senex addiderit ad ea, quae iuvenis de ea re (Opusc. acad. I 504sq.) scripserat.

Paulo post § 55 legimus: *viderint ista officia viri boni: de me autem sic considerent.* adfero autem haec, non quo explicatione aut emendatione egeant, sed ut falsam esse demonstrem Seyfferti opinionem aliis probatam, cum ad Lael. 10 adnotet 'videris, viderit — addo 'videritis' ex Liv. I 58, 10 XLII 13, 11 — viderint', ubi imperandi vim habeant, non futurum actionis perfectae sed coniunctivum perfecti esse. cui sic statuenti aperte verba illa refragantur. nam si coniunctivo modo Cicero videndi verbum eloqui voluisset, non *viderint* sed 'videant' dicturum eum fuisse *considerent* isto satis declaratur. nequaquam autem perfecti coniunctivum illum sive imperativum sive iussivum aut, si negatur, prohibitivum praesentis temporis notionem induere posse et per se patet et his duobus, quae repperi, exemplis evincitur: *immo vero poenas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, non debitas* (Mil. 104), ubi haec est sententia: 'dum modo ille debitas poenas luerit id est mortuus sit, nos subeamus non debitas', et: *ut vilicus naturam agri novit, dispensator litteras scit, uterque autem se a scientiae delectatione ad efficiendi utilitatem refert, sic noster hic rector studuerit sane iuri et legibus cognoscendis, fontis quidem earum*

utique perspexerit, sed se responsitando ne impediat, ut quasi dispensare rem publicam et in ea quodam modo vilicare possit (rep. V 5), quae verba sic intellegenda sunt: 'rector ne ad rem publicam moderandam se impediat, cum iuri et legibus cognoscendis studuerit fontesque earum perspexerit'. apparet igitur perfecti, quod vocant, logici hunc esse coniunctivum. qui saepius invenitur, ubi aliquid conceditur, quem usum adfinem superiori illi testantur Verr. I 37 III 174 Lig. 18 Phil. I 15 X 19 Acad. II 16, 75 fin. II 61. his perspectis non difficile est ad probandum etiam 'videro' interdum ita usurpari ut 'videris cet.' neque enim idem valet atque 'alias videbo', cum dicitur: *compone hoc, quod postulo, de argento: de reliquo videro* (Verr. IV 36) aut: *si enim ille patriae parens, ut tu appellas (ego quid sentiam, videro), cur non hic parens verior cet.?* (Phil. XIII 25), sed hoc significatur: 'ipse videbo' vel 'meum sit', sicut illis: 'tuum sit cet.' idem de Terentio iam dudum Madvigius (Opusc. acad. II 92) docuit.

Qu. Rosc. 1 quae in codicibus β M sic scripta sunt: *solent fere dicere, qui per tabulas homines . . . citi pecuniam expensam tulerunt*, cum liber Francianus spatium illud duodecim fere litterarum non habeat, quomodo emendanda sint, nemo adhuc intellexit. dicunt autem illi: *egone talem virum corrumpere potui, ut mea causa falsum in codicem referret?* unde illud quidem apparet, eos non suum codicem expensi proferre sed alterius, quem pro se pecuniam solvere iusserint, quam ipsis debebat. hoc enim testis loco recitato integritatem eius, qui illud nomen fecerat, laudare eos consentaneum est. probabilis igitur, etiamsi non certa, haec erit lectio: *solent fere dicere* **homines**, *qui per tabulas* **alterius alicui** *pecuniam expensam tulerunt.* quaerentibus autem, quomodo inde id, quod in libris est, oriri potuerit, facile est respondere, **homines** cum errore praetermissum et in margine additum esset, falso loco postea receptum et ita suprascriptum esse, ut, quae paulo infra legerentur, vix apparerent, ut ab eis, qui porro haec transcriberent, partim omitterentur partim non recte dispicerentur, unde ex **cui** totidem apicibus litterarum factum sit illud *citi*, in quo supplendo frustra viri docti operam consumpserint. neque vero **alicui** ad sententiam inutile est, cum necessario designandus sit is, cui pecunia pro eo, cuius causa agitur, numerata est.

Verr. I 5 Cicero haec professus: *accessi enim ad invidiam iudiciorum levandam vituperationemque tollendam, ut, cum haec res pro voluntate populi Romani esset iudicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum videretur*, cum pergere non possit: *postremo, ut esset hoc iudicatum, ut finis aliquando iudiciariae controversiae constitueretur,* Kayserus sic fortasse scribendum ratus: 'pro reo cum esset hic iudicatum' et H. A. Kochius proponens: 'contra eam cum esset hoc iudicatum' non modo violentius agere videntur sed etiam ea, quae mox subiciuntur, non satis respexerunt. de reo enim cum Cicero addat: *qui si condemnatur, desinent homines dicere his iudiciis pecuniam plurimum posse, sin absolvitur, desinemus nos de iudiciis transferendis recusare*, apertum est etiam finem illum, quem constitutum iri dixerat, non unum eundemque esse, ut ne id quidem, in quo consistit, simplex esse possit. erit autem anceps, si mecum leges, ut iam Muretus (Var. lect. XIX 12) et alii voluerunt: *postremo,* **utut** *esset hoc iudicatum, ut finis aliquando iudiciariae controversiae constitueretur.* ubi *postremo* ita positum, ut latius aliquanto pateat, quod additur, non maiorem offensionem habet quam id, quod saepius ita invenitur, 'denique'. nec desunt exempla non modo apud Sallustium (Cat. 14 6, Jug. 3, 1) et Caesarem (bell. civ. III 83, 5) atque imitatorem eius (bell. Alex. 13, 3) sed ne apud ipsum quidem Ciceronem Verr. III 4 dicentem: *omnia postremo, quae vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer*

fugienda sunt. contra Sex. Rosc. 110, quem locum Landgrafius eodem modo interpretatur, *postremo* non generale aliquid subiungit, sed narrationem praecidit. secundum autem, non tertium aut posteriorem aliquem locum haec particula obtinet etiam Verr. II 101: *nam, si ita defenderet: . . . , mala et improba defensione, verum aliqua tamen uti videretur, postremo tamen illo desperatissimo perfugio uti posset cet.*, similiterque Font. 31, postquam de Gallis dixit: *an vero istas nationes religione iuris iurandi ac metu deorum immortalium in testimoniis dicendis commoveri arbitramini?* idque cur non ita sit, exposuit, sic haec auget: *postremo his quicquam sanctum ac religiosum videri potest, qui, etiamsi quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant cet.?* quibuscum exemplis Tullianis conferas, si placet, Liv. XXIII 37, 3 sq. XXVII 30, 12 sq. 51, 6. simillimum autem et significatione et collocatione adverbii *postremo* hoc Sallustianum est: *verum ex eis magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minume mihi hac tempestate cupiunda videntur* (Jug. 3, 1).

Verr. III 134 non potest ita Cicero dixisse: *quaestores, legatos, praefectos, tribunos suos multi missos fecerunt et de provincia decedere iusserunt, quod illorum culpa se minus commode audire arbitrarentur aut quod peccare ipsos aliqua in re iudicarent: tu Apronium, hominem vix liberum, contaminatum, perditum, flagitiosum, qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram conservare potuisset, eum in tanto tuo dedecore profecto ne verbo quidem graviore appellasses neque apud te tam sancta religio societatis fuisset, ut tui capitis periculum neglegeres, nisi rem tam notam esse omnibus et tam manifestam videres* neque magis, ut voluerunt aliqui, 'non profecto ne verbo quidem cet.' aut 'profecto non ne verbo quidem cet.', quod placuit C. F. G. Müllero. nam retinet etiam post generalem negationem *ne — quidem* vim suam negativam, cum sententia haec esse debeat: 'Apronium profecto gravius appellasses, nisi rem tam notam esse omnibus et tam manifestam videres'. accedit quod non gravius appellare eum solemus, quocum iuncti societatis religione tenemur. itaque coniungi haec non ita possunt, ut fit, sed aut dicendum erat: 'gravius appellasses neque apud te tam sancta religio societatis fuisset' aut altera pars periodi sic enuntianda: *tu Apronium . . . in tanto tuo dedecore profecto ne verbo quidem graviore appellasses a t q u e apud te tam sancta religio societatis fuisset, ut tui capitis periculum neglegeres, nisi rem tam notam esse omnibus et tam manifestam videres?* posterius autem ut praeferamus, non modo facilitas emendationis suadet sed etiam eadem interrogandi forma, qua paulo ante in re consimili Cicero utitur dicens § 133: *si tibi aliquis ad aurem accessisset et dixisset Apronium dictitare te sibi esse socium, commoveri te oportuit, evocare Apronium nec illum ante tibi satis facere, quam tu omnium existimationi satis fecisses: cum vero in foro celeberrimo . . . tibi obiectum esset, tu umquam tantam plagam tacitus accipere potuisses, nisi hoc ita statuisses, in re tam manifesta quicquid dixisses, te deterius esse facturum?* ubi etiam clausula cum re tum verbis ei respondet, quam supra posuimus. illud addo, si non per interrogationem Cicero haec elocutus esset, commutata tota sententiae conformatione dicendum fuisse: 'nec tu in Apronium . . . non gravius aliquid statuisses neque apud te tam sancta religio societatis fuisset cet.'

Ibidem § 176 ex optimo codice Lagomarsiniano 42 Müllerus edidit: *mala est haec quidem, ut dixi, ac potius perdita maximorum peccatorum, huius autem iniquitatis et inertiae confessio, non defensio criminis: sed tamen hac ipsa tibi, si uti cupias, non licet.* dixerat autem Cicero § 175 *mala mehercule ac misera defensio praetorem hoc dicere* itemque verba *hac ipsa* necessario ad *defensionem* referenda sunt, ut nullo pacto *mala ac potius perdita confessio* recte se habere possit.

quod qui sensit, *defensio* post verba *ut dixi* inculcavit leguntque ita ex Lagomarsiniano 29 Jordanus et Klotzius non reputantes tum sic pergendum fuisse: 'sed tamen illa (non *hac*) ipsa tibi, si uti cupias, non licet'. simpliciter autem haec omnia delere: *maximorum peccatorum, huius autem iniquitatis et inertiae confessio, non*, id quod Kayserus fecit, non est sanare, quae corrupta sunt, sed violenter resecare, quae restitui in integrum posse desperes. sed restat aliud mendum. quid enim sibi vult *huius* (id est Verris) *autem iniquitatis et inertiae* aut etiam *huius autem et iniquitatis et inertiae*, ut scribunt non nulli cum Lagomarsiniano 29, cum peccata illa maxima ipsa iniquitas et inertia sint? quamobrem sic haec legenda proponimus: *mala est haec quidem, ut dixi, ac potius perdita maximorum peccatorum huius*, [*autem*] *iniquitatis et inertiae, confessione defensio criminis cet.* quae optime cohaerere et convenire cum eis, quae antecedunt et quae sequuntur, nemo negabit. facile autem erat corrupto fine vocabuli *confessione*, ut in Fabriciano est *confession.*, nasci inde *confessio non*, quod in ceteris libris praeter Vaticanum legitur. qui quod solus ablativum habet, utrum fide an emendatione factum sit, propter indolem eius diiudicari non potest. antiquior autem hac corruptela, cum etiam in optimo codice exstet, interpolatio illa est, quam significavimus. debetur autem homini non intellegenti *huius* a *maximorum peccatorum* pendere sed perperam ad verba proxime sequentia referenti. quod cum factum esset, ultro oppositio quaedam cuiusvis praetoris improbi et Verris sese obtulit, quae *autem* illud requirere videretur.

Verr. IV 39 avaritia Verris cum Eriphylae sic comparatur: *Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, cum vidisset monile, ut opinor, ex auro et gemmis, pulchritudine eius incensa salutem viri proderet. similis istius cupiditas, hoc etiam acrior et insanior, quod illa cupiebat id, quod viderat, huius libidines non solum oculis sed etiam auribus excitabantur.* offendimur autem verbis extremis. aut enim simpliciter secundum ea, quae in re persimili § 101 leguntur, 'non oculis sed auribus' aut, id quod verum esse contendimus, *non* [*solum*] *oculis sed etiam auribus* dicendum est. nam primum re vera id, de quo agitur, Verres non vidit sed audivit tantum modo, deinde, cum oculis percipere maius quiddam sit quam auribus, ineptum est gradatim ab oculis ad aures ascendere dicendo: *non solum oculis sed etiam auribus.* illud opus est docere, *etiam*, ubi cumuletur, non simpliciter aliquid addatur, in descendendo quoque usurpari, dum modo id, quod subicitur, inexspectatum sit, idque cum alibi fieri, velut Verr. V 74 interrogatur: *quamobrem sciebas? quamobrem etiam suspicabare?* aut leg. I 50 de eis, qui se pudicos haberi cupiunt, legitur: *pudet etiam loqui de pudicitia*, tum antegresso *non — sed*, cuius rei exemplum est Sex. Rosc. 118: *ita promptum et propositum est, ut non ex illis maleficiis, quae in illo* (id est in Capitone) *constat esse, hoc intellegatur, verum ex hoc etiam* (id est ex nequitia Magni, discipuli Capitonis), *si quo de illorum forte dubitabitur, convincatur.* quae cum ita sint, *solum* propter id, quod sequitur, *sed etiam* additum videtur et sine dubio delendum est.

Plane eandem autem fraudem Marc. 32 deprendisse nobis videmur, ubi haec est lectio tradita: *restat, ut unum omnes velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae sed etiam sanitatis*, nisi quod liber quidam Trevericus, quem Haasius inspexit, cum duobus codicibus haud ita magni pretii (F, M) et codice Ambrosiano C 29 *non sapientiae modo* subministrat, quod ille in adnotatione 421 ad Reisigii scholas grammaticas scripta probat et iam ante scribi voluerunt F. A. Wolfius et Reisigius. atque illud quidem dandum Reisigio p. 438 sq. est, 'non solum — sed' pro 'non modo — sed' dici non posse, ubi ad minus aliquid descendatur. nam id ipsum inculcaret, quod neglegi posse significatur. sed alteram quoque lectionem reiciendam putamus et re-

ponendum ex superiore: *qui modo habent aliquid non [solum] sapientiae sed etiam sanitatis.* neque enim de sapientia omnino sermo esse potest, cum hoc Cicero dicat, omnes, in quibuscumque tantulum sanitatis sit, iam unum velle debere, ut de sapientibus hominibus ne cogitare quidem potuerit, sed, ut pondus *sanitatis* augeret, ex adverso posuit *sapientiae* vocabulum.

Quod vero Wolfius, Reisigius, Haasius 'non modo — sed etiam' in descendendo locum habere existimant, negamus cum Kühnastio Syntaxis Livianae p. 353 ullo modo 'etiam' addi posse, si minuitur id, quod incipiens a 'non — modo' priore loco enuntiatum est. sed cum noluerit ille pluribus de hac re exponere, id autem minime supervacaneum sit, praesertim cum Kühnerus in maiore grammatica Latina (II § 159, 10 et 14) turbet omnia commisceatque nec magis A. Eberhardus Lectionum Tullianarum p. 13 sq. rationem huius elocutionis perspexerit, quae huc faciunt exempla Tulliana, si minus omnia at illustriora uberius aliquanto tractare constituimus.

Tenentes enim id, quod supra demonstravimus, 'etiam' vim cumulandi non modo in augendo habere sed etiam in minuendo retinere, facile intellegemus recte se habere eius modi exempla, quale fin. V 46 legitur: *ut, si ipse usus membrorum non modo non maior verum etiam minor futurus sit, eorum tamen species ad naturam revertatur*, ubi *non maior* una notione comprehenditur et oratio instituta sic absolvi poterat: 'verum idem futurus sit', sed, cum gravius aliquid dici posse videretur, Cicero haec addidit: *verum etiam minor futurus sit.* nec minus perspicuum est leg. agr. II 41: *magna mihi res non modo ad statuendum sed etiam ad dicendum videtur esse* (= sed ne ad dicendum quidem parva). ac ne illud quidem mirum videbitur, quod scriptum est div. in Qu. Caec. 31 *qualis erit tua ista accusatio, quae domestici periculi metu certissimi et maximi criminis non modo suspicionem verum etiam mentionem ipsam pertimescat?* (= verum ne ipsam quidem mentionem audeat?) aut Pis. 74: *indicasti non modo amplissimae sed etiam minimae laudi lauream concessisse* (= sed ne minimae quidem laudi lauream parem fuisse) aut denique Planc. 78: *ullum esse tantum periculum, tantum laborem, tantam contentionem* (sc. *putas*), *quam ego non modo pro salute tua sed etiam pro dignitate defugerem*? (= sed ne pro dignitate quidem libenter susciperem?). paulo intricatior est locus div. I 124: *mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum satis est non modo plura* (sc. quam exstare videntur) *sed etiam pauciora divine praesensa et praedicta reperiri.* nam cum sic eloqui Cicero voluisset: 'satis est etiam pauciora reperiri', subito in mentem ei incidit, fieri etiam posse, ut contrarium verum sit. quod cum ne ipsum quidem sententiae adversetur, addendum putavit, quo factum est, ut perversa, si diligentius attendimus, exsistat oratio, quando quidem non satis esse potest *plura* reperiri. immo sic erat dicendum: 'confirmatur hoc, de quo disputo, non modo eo, quod plura, sed eo etiam, quod pauciora divine praesensa et praedicta reperiuntur', cuius altera pars illud vult: 'sed ne pauciora quidem disputationem meam infringunt'. exempla autem talis indiligentiae si quis forte apud Ciceronem quaerat, adferri quodam modo licet Cat. III 4: *in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut, quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem, ut . . . rem ita comprehenderem, ut tum demum animis saluti vestrae provideretis, cum oculis maleficium ipsum videretis,* ubi exitus hic esse debebat: 'ut oculis maleficium ipsum videretis, quoniam tum demum animis saluti vestrae provideretis'. porro in aliquot locos inquirendum est, quibus 'non modo — sed etiam' specie quidem ita adhibitum est, ut maius aliquid imminuatur. sunt autem hi: Sex. Rosc. 111: *si qui rem mandatam non modo malitiosius gesserit . . . verum etiam neglegentius*, Caec. 73: *quod si non modo oppressum sed etiam desertum aut neglegentius adservatum erit*, epist. XV 6, 1: *si non modo*

omnes verum etiam multi Catones essent in civitate nostra, Dei. 15: *tanto scelere non modo perfecto sed etiam cogitato.* sed componentibus cum his illud: *quibus ego non modo si aciem exercitus nostri verum etiam si edictum praetoris ostendero, concident* (Cat. II 5) aut etiam: *omnia, non modo quae reprehendi palam sed etiam obscure quae cogitari possunt, timemus* (Mil. 42), ubi semel posito *possunt* iam artius duo membra per infinitivum enuntiata coniunguntur — ista igitur cum comparabimus, apparebit, opinor, similem incuriam atque modo notavimus in causa fuisse, cur vis et natura *etiam* illius in eis, quae supra posuimus, non agnosceretur. *non modo* enim in prioribus tribus exemplis in sententiam principalem translato et *si* particula post *etiam* repetita augetur, ut par est, id, quod proxime antecedit, eo, quod statim adiungitur. et volebat initio Cicero nihil nisi hoc efferre, itaque etiam, postquam illud ei intervenit, sententiam continuavit, non mutavit. nec fere aliter de ea verborum constructione, quam in extremo exemplo inesse videmus, iudicandum est. quod faciliorem intellectum haberet, si ita scriptum esset: 'non modo perfecto sed etiam cogitato tanto scelere', quamquam confitendum est sic quoque facile fieri posse, ut sententia non recte perciperetur. neque id factum in simili genere a Goerenzio et aliis, qui, quod leg. III 25 in optimis libris vitiose sic legitur: *quis enim non modo liber servus libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset?* ita correxerunt, ut 'liber sed servus' scriberent, quasi non hoc dicatur: 'quis, non modo qui liber sed etiam qui servus esset, libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset?' unde efficitur cum deterioribus libris *sed etiam* inserendum esse. restant tractanda haec verba, quae in Milonianae § 5 inveniuntur: *numquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos ad eius non salutem modo exstinguendam sed etiam gloriam per tales viros infringendam.* in quibus apertum est sententiam negativam in partitione non continuari, id quod multo usitatius est, per negationem sed per adfirmationem, ut idem sit ac si ita scriptum esset: 'non modo ad salutem eius exstinguendam sed ne ad gloriam quidem infringendam'. idem fere cadit in div. II 117 et Caec. 39, ubi *etiam* deest, cf. p. 16. potuisse autem Ciceronem illo modo loqui, etiam inde concludi licet, quod Acad. II 88 dicit: *quasi quisquam neget et, qui experrectus sit, eum somniasse se et, cuius furor consederit, putare cet.* et, si modo sana lectio est, leg. III 42: *nihil* (sc. est) *minus et civile et humanum.* huc addendum est, quod post eam negationem, quae in praepositione 'sine' latet, ne potest quidem aliter enuntiari: itaque scriptum est Verr. V 1: *sine ulla non modo religione verum etiam dissimulatione* et Caec. 41: *sine cuiusquam non modo morte verum etiam vulnere.* neque vero eius modi exempla plus admirationis habent quam si extra partitionem apud Caesarem invenias bell. Gall. VII 52, 2: *ne parvum modo . . . detrimentum accideret* atque etiam ib. 66, 6: *quin nemo eorum praegredi modo extra agmen audeat, ipsos quidem non debere dubitare*, ubi merito post *neminem* exspectaveris: 'ne praegredi quidem'. at alia res est Cael. 45: *fieri enim non potest, ut animus libidini deditus . . . hoc, quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo verum etiam cogitando possit sustinere.* natura enim eius sententiae, ad quam refertur illud *ut*, quod vocant consecutivum, non patitur negationem etiam ad ea, quae subiciuntur, valere, id quod clarius etiam ex hoc exemplo Caesariano apparet: *manus erat nulla, quae parvam modo causam timoris adferret* (bell. Gall. VI 35, 3). sed haec quidem hactenus: redeo ad orationes Tullianas emendandas.

Phil. II 26 igitur Cicero negans se cum Bruto, Cassio, reliquis contra Caesarem coniurasse, quod nomen suum una cum illorum nominibus nemini auditum sit, alteram causam hanc adfert: *etenim, si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis actoribus* (sic enim pro *aucto-*

ribus legendum esse, satis, opinor, Madvigius ante multos annos demonstravit Opusculorum academicorum I 164 sq.), *Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem cotidie videret, alter etiam Ahalae?* dicit igitur: 'praeterea (de qua notione particulae *etenim* cf. Madvigium ad Cic. fin. I 3), si auctores illis desiderarentur, Brutos me impellere non necesse erat'. in quibus cum illud incommode se habet, quod tacetur id, quod caput est, re et veritate auctores non desiderari, tum perversa est conclusio. sic enim fere dicendum fuisse videtur: 'si auctores illis desiderarentur, cur ego potissimum Brutos impellerem?' quapropter oratio condicionalis ita transformanda est, ut *desiderantur* legatur, quod sequente *impellerem* facillime corrumpi potuisse patet. tum Cicero sic pergit: 'praeterea, si quis auctores illis desiderat, is impelli eos non necesse fuisse reputet, ut ne ipse quidem consilium eis dare potuerim. an Brutos ego impellerem cet.?' ita enim ea, quae paulo brevius elocutus est, explicare licet. iam omnia cohaerent conficiturque id, quod servata codicum lectione *desiderarentur* cogitatum sed omissum erat, non quaeri omnino oportere caedis auctores.

Phil. VI 10, ubi de L. Antonio, fratre triumviri, sermo est, haec habent ad extremum editiones: *pluris habetur quam L. Trebellius, pluris quam T. Plancus *** adulescens nobilis.* Vaticanum autem librum, ad quem iure Philippicae ut optimum omnium recensentur, si inspicimus, post *Plancus* haec mirabiliter scripta reperimus: 'videte quandecertum est *ut exercitum citra flumen rubiconem qui finis est galliae educeret dum ne propius urbem romam ducenta milia admoveret huic denuntiationi ille pareat* cum exiluerit adulescens nobilis'. et 'videte quandecertum est' quidem in litura scriptum est, quae vero sequuntur ex § 5 deprompta, manu secunda lineis transversis deleta sunt, ut restent verba: 'cum (aut 'tum', ut manu secunda correctum est) exiluerit adulescens nobilis', unde duo postrema in textum recepta sunt nota corruptelae appicta. quam facile est tollere, cum *adulescens nobilis* delemus statimque ad ea, quae sequuntur, pergimus, quibus de Planco et Trebellio accuratius disputatur. id autem facientes, legentes igitur: *pluris habetur quam L. Trebellius, pluris quam T. Plancus* [... *adulescens nobilis*]. *Plancum cet.*, non modo nihil desideramus sed etiam ex duplici difficultate expedimur. nam sive 'adulescens nobilis' ad Plancum referimus sive ad tertium aliquem, quem Faernus Exitium (pro 'Exstitio', quem hodie legimus Phil. XIII 28) esse voluit, inconcinna evadit oratio, cum neque Trebellius neque Trebellius aut Plancus eius modi habeant appositionem. deinde si tertium nomen additum fuisse statuimus, qui factum esse putamus, ut de prioribus duobus postea multa verba fiant idque per chiasmum, qui in duabus rebus locum habet, tertii hominis illius ne vestigium quidem appareat? id autem cum certum sit, nihil omnino deesse orationi ita, ut dixi, decurtatae nec probabiliter addi posse, altera quaestio oritur neque a quoquam adhuc suscepta, unde illa, quae in Vaticano exstant, nata sint. hoc enim si demonstraverimus, omnis dubitatio de emendatione nostra sublata erit. atque de correctionibus alterius librarii non opus est dicere, quid prior voluerit, ostendendum est. is igitur, cum post *Plancus* iam scribere perrexisset, subito se revocavisse, oblevisse verba ultima, ex margine explicationem quandam grammaticam in textum transferre coepisse censendus est eaque finita secundam, quae infra item in margine nullo fortasse spatio relicto legeretur, ita adiunxisse, ut unus verborum ambitus oriretur. adnotaverat autem primum aliquis ad haec verba § 9: *non metuo, Quirites, ne, cum audierit Antonius me hoc . . . confirmasse, numquam illum futurum in senatus potestate, refellendi mei causa . . . vertat se et senatui pareat,* ut indicaret, cur tam confidenter Cicero loqueretur: 'videte (fort. 'videlicet', ut est apud scholiastam Gronovianum p. 413, 3

Or. in eius modi explicatione), quando certum est (sc. quod supra dixit): *ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliae, educeret, dum ne propius urbem Romam ducenta milia admoveret, huic denuntiationi ille pareat?'* ita enim paulo aliter atque apud ipsum Ciceronem haec distinguenda videntur. iure autem atque merito ille nescio quis ad haec verba provocavit, cum Cicero non magis Antonium senatui pariturum esse dixisset vetanti oppugnare consulem designatum, Mutinam obsidere, provinciam depopulari, dilectus habere quam usque ad id tempus exsecutus esset, quod antea facere eum senatus iussisset, ut exercitu Rubicone traiecto ducenta milia ab urbe abesset. altera nota cum hac confusa ad Plancum pertinet, qui exeunte § 10 post condemnationem maestus redisse dicitur, de quo reditu scriptum fuisse videtur: 'tum in exilio fuit adulescens nobilis', unde postea litteris evanescentibus monstrum illud: 'tum (vel 'cum') exiluerit adulescens nobilis' factum est. in unum autem coaluisse duas explicationes propter longitudinem prioris consentaneum est. veri aliquid unus Moserus vidit sed non persecutus est coniciens apud Ciceronem legendum esse: 'Plancus, qui exulavit, adulescens nobilis'.

Acad. II 80 postquam exposuit Lucullum cum Epicuro veraces sensus existimare nec curare ea, quae contra dicantur, sed id magno periculo suo facere, quod nulli eorum umquam credendum sit, si unus semel sit mentitus, Cicero exclamat: *hoc est verum esse, confidere suis testibus et inportata insistere!* ubi *et* illud quidem, in quo Madvigius offendit, recte se habet, cum oratio bipartita, non tripartita sit. neque enim laudatur Epicurus ob veritatem et magnam fiduciam, immo parum eum veritatis studiosum esse eis, quae subiciuntur, aperte declaratur. sed reliquum est istud *inportata* corruptum. quod qui in 'inportune' mutaverunt, sententiae satis fecerunt, externae, quae vocatur, probabilitati non item. id nobis forsitan non minus quam illud contigerit, cum *incohata* scribimus, praesertim si reputes, hanc vocem olim capitalibus litteris exaratam fuisse. tum sic loquitur Cicero: 'praeclara vero eorum est sinceritas, qui suis testibus solis fidem habendam putent et in ea opinione perstent, quam semel de sensibus conceperunt, ut verbi causa oculorum errorem nullo modo concedant' — id enim Timagoram Epicureum fecisse statim additur. *insistere* autem iunctum cum accusativo quamquam raro, tamen etiam apud Ciceronem persequendi significatione invenitur de or. III 176: *quonam igitur modo tantum munus insistemus, ut arbitremur nos hanc vim numerose dicendi consequi posse?*

Ibidem § 104 sapienti dicitur alterum *placere, ut numquam adsentiatur* (sc. *ulli rei*), *alterum tenere, ut sequens probabilitatem, ubicumque haec aut occurrat aut deficiat, aut 'etiam' aut 'non' respondere possit.* tum sic pergitur in libris manu scriptis: *nec* (aut *ne*) *ut placeat eum, qui de omnibus rebus contineat se ab adsentiendo, moveri tamen et agere aliquid, reliquit* (*quit* Leidensis A in rasura habet) *eius modi visa, quibus ad actionem excitemur, item ea, quae interrogati in utramque partem respondere possimus sequentes tantum modo, quod ita visum sit, dum sine adsensu, neque tamen omnia eius modi visa approbari sed ea, quae nulla re impedirentur.* in quibus *reliquit* ferri non posse, sed cum Davisio *relinqui* legendum esse, si quidem id, quod sequitur, *approbari* retineatur, manifestum est. contra in prima voce emendanda frustra viri docti desudaverunt. nec vero opus est enumerare, quae excogitaverint, cum ad unum omnes eodem modo errasse videantur non intellegentes *item* ad *ut* praecedens referendum esse, cardinem autem rei in eo verti, ut id, quod antea de respondendo dictum sit, probetur. quamobrem sic haec legenda censemus: *nam, ut placeat eum, qui de omnibus rebus contineat se ab adsentiendo, moveri tamen et agere aliquid relinquique eius modi visa, quibus ad actionem excitemur* (qua de re supra

§ 99 sq. et infra § 108 disputatur), *item ea* (sc. *relinqui*), *quae interrogati in utramque partem respondere possimus sequentes tantum modo, quod ita visum sit, dum sine adsensu cet.* scripsitque **nam** Lambinus cetera aliter administrans.

Fin. III 2 haerent recentiores editores in bonorum codicum lectione: *nec vero ullum probetur ut summum bonum, quod virtute careat, qua nihil possit esse praestantius* in primis ideo, quod *ut* retento *ullum*, ut Madvigii verbis utar, contra huius aetatis et scriptoris usum substantivum sit. sed hunc usum nullum esse his demonstratur exemplis Tullianis: *ita neque color neque corpus nec veritas nec argumentum nec sensus neque perspicuum ullum relinquitur* (Acad. II 34) et: *alia semper virent alia hieme nudata verno tempore tepefacta frondescunt, neque est ullum, quod non ita vigeat cet.* (Tusc. V 37). quod autem coniunctivum iussivum *probetur* ferri non posse contendunt, recte illi quidem faciunt, sed quid impedit vim potentialem, quae satis apta videtur, huic modo attribuere? qui servatur etiam in verbis proximis: *qua nihil possit* (B, *posset* A et E) *esse praestantius,* ubi Madvigius quidem contra codices 'potest' legit. quae cum ita sint, lectio tradita optime se habet.

Fin. V 93 de Epicureis ex veteris cuiusdam librarii correctione legitur: *fatentur se virtutis causa, nisi ea voluptatem acciret, ne manum quidem versuros fuisse*, cum optimi codices *voluptate maceret* praebeant. sed cum *accire* illa significatione non sit Latinum, aliud verbum ex litteris *aceret* eruendem est, pro quibus plerique 'faceret' scribunt, cum alii alia temptent. at res voluptatem 'facere' dici possunt, non virtus. vide igitur, ne **haberet** lateat, unde amissa aspiratione littera *m* ex proxima voce accedente evaserit *maceret*, leuissima mutatione in verbi formam redactum.

Div. I 12 libri habent: *observata sunt haec tempore immenso et in significatione eventus animadversa et notata.* quae sana non esse quivis videt, sed adhuc egent medicina. nam ut taceam de antiquiorum emendandi conatibus, ne quae Orellius quidem et posteriores repperisse sibi videntur, proba sunt, cum, quidquid moliuntur, non modo putida remaneat in illis tautologia, in quibus plane respondent sibi *observata* et *animadversa*, ut una legitur II 47 *observari animadvertique*, sed etiam ita Cicero in his de divinatione libris semper illa verba iungat, ut dicat: *animadvertendo ac notando* (I 25), *observatis ac notatis signis* (ib. 34), *animadversa ac notata sunt* (ib. 72), a qua artiore copulatione abhorret II 91: *eaque animadvertant et notent sidera natalicia Chaldaei*, ubi consulto duas certorum hominum actiones separatim nominavit. recte igitur omnia procederent, si abessent, quae interposita sunt, et simpliciter legeretur: 'observata sunt haec tempore immenso et (aut 'ac') notata'. quamquam non necesse est omnia illa resecare, dum modo *et* ante *notata* deleatur, perperam videlicet ab aliquo, qui constructionem non intellegeret, additum. tum enim vox observandi aliquanto plenius repetitur, cum ea, quae *observata* sunt, *in significatione eventus animadversa* esse dicuntur, totius autem enuntiati forma haec: *observata sunt haec tempore immenso et in significatione eventus animadversa* [**et**] *notata* ad ea redit, quae paulo ante scripta sunt: *est enim vis et natura quaedam, quae . observatis longo tempore significationibus . . . futura praenuntiat.* denique moneo *animadvertere* et *notare* similiter infra § 131 componi, ubi est: *multa adferre potuit dies, quae animadvertendo notarentur.*

Div. II 47 mire redemptor quidam ad certam horam a deis *reservatus* esse dicitur, qua signum Iovis, quod conduxerat, collocatum sit. nam non ipse reservatus est sed columnae collocatio. quare necessario cum Hottingero legendum est **retardatus**, quod, cum haec proxime

antecedant: *non inertia aut inopia tardior fuit*, facile a sciolo aliquo mutari potuit molestae, quae in verbo inesset, repetitionis evitandae causa. et simillime eandem rem memorans Cicero Cat. III 20 dicit: *tanta fuit operis tarditas*.

Ibidem § 62 scriptum est: *quod etiam coniector quidam et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur ei, qui cum* (*quodam* in *quoddam* correctum in codice Vindobonensi est) *ad eum rettulisset quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumiectus fuisset: 'Tum esset', inquit, 'ostentum, si anguem vectis circumplicavisset'*. quae cum inter se non cohaereant, duplicem emendandi rationem experta sunt. aut enim uno loco medicina adhibita est, ut a Davisio 'dicitur ei, qui quondam ad eum rettulisset' legenti aut duobus, ut ab Halmio, Kaysero, Baitero, quorum haec sunt inventa: 'dicitur, cum quidam ad eum rettulisset', 'dicitur, qui, cum ad eum rettulisset quis' aut 'rettulissent'. ac potuisse quidem Ciceronem hoc aut illo modo scribere nemo infitiabitur, sed scripsisse altero propterea minus veri simile est, quod ita pluribus locis tradita codicibus lectio mutanda est. ne vero cum Müllero Davisium sequamur, duorum librorum Leidensium consensus facit. tertia igitur via ingredienda est, a qua non procul Rathium afuisse video, qui recte sensit *quod* illo initio posito non simpliciter repeti, quod modo dictum erat: omnino nullum esse portentum. adverbialiter autem etiam extra copulationes velut 'quod si', 'quod cum', 'quod quoniam' dici posse 'quod', ut idem valeat atque 'quapropter', non modo ex poetis ut ex Vergilii Aeneidos II 141 et VI 363 patet sed etiam ex § 87 huius ipsius libri intellegitur, ubi habes: *quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse Fortunam*. quod dicendi genus ortum esse ex eius modi elocutione, cuius supra I 102: *quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine* exemplum exstat, nota res est. quod si ita etiam nostro loco *quod* interpretabimur, in promptu est emendatio. facillime enim scribetur: *quod etiam coniector quidam et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur ei, c u i, cum ad eum rettulisset quasi ostentum . . . 'Tum esset', inquit, cet.* atque hanc correctionem quamquam postea intellexi iam a Vahleno in Musei Rhenani tomo XXVII 186 inventam esse, tamen nolui praeterire, quod digna res videbatur, quae uberius exponeretur. accedebat ut Vahleno *quod* illud pronomen esset. cui astipulari verbis *non inscite* vetamur, quibus id, quod sequitur, laudatur, non respicitur id, quod antea dictum erat: tum enim sic fere pergendum erat: 'idem coniector quidam et interpres portentorum nec id inscite respondisse dicitur'. tametsi id Vahleno dandum est, non multum interesse inter hoc exemplum et illud, quod ex I 102 modo exscripsimus.

Nihil usque ad hoc tempus profecerunt viri docti in emendandis his verbis, quae rep. II 59 leguntur: *fuerat fortasse aliqua ratio maioribus nostris in illo aere alieno medendi, quae neque Solonem Atheniensem non longis temporibus ante fugerat neque post aliquanto nostrum senatum cet.* sed considerantibus haec respici postea illis: *quo tum consilio praetermisso causa populo nata est cet.* vix dubium est, quin reponendum sit: *fuerat fortasse aliqua ratio maioribus nostris i l i c o a e r i alieno medendi cet.*

Leg. I 16 quo modo restituendum sit, dubitatur. nam cum Quintus nulla magis de re quam de institutis rerum publicarum ac de optimis legibus quaeri sibi placere professus sit, Marcus respondet: *et recte quidem. nam sic habetote, nullo in genere disputando honesta patefieri, quid sit homini a natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae*

naturalis societas inter ipsos. ac proba, quod ad sententiam quidem attinet, Baiteri lectio est fidenter 'magis' vice corruptae vocis *honesta* fungi iubentis sed caret omni veri similitudine, cum sola libri Heinsiani scriptura nitatur, in quo a correctore istud ante *honesta* additum est. idem cadit in Halmii coniecturam, qui duobus locis unius causa sic orationem Tullianam immutat: 'si ullo in genere disputandi, in hoc ista patefieri'. neque vero Vahleni 'nullo in genere disputando posse ita patefieri' magnam probabilitatem habet. verum quod Urlichsus in Musei Rhenani tomo XXXIII 154 in medium profert: 'nullo in genere disputando non ista patefieri', id a tota sententia alienum est, cum Quinti verbis quam maxime adversetur. melius, nisi me fallit animus, pro *honesta* scripseris: *omnia ista*, ut multitudo earum rerum, quae statim enumerantur, indicetur.

Parad. II 17 cum alii tum Baiterus et Müllerus scripserunt: *mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modo [non] repugnanti.* alterum igitur *non* secludendum putaverunt, quod inverso quoque ordine verborum *non modo [non] repugnanti sed ne recusanti quidem evenerit* iustum esse existimarent. ego vero codicum lectionem: *non modo non repugnanti* retinendam esse contendo. scilicet obtemperant illi praecepto cuidam grammatico, quo alterum *non* omittere iubemur, si, quod in posteriore parte enuntiatur, etiam ad priorem pertinet. at quaeritur, num recte ita praescribatur, quippe cum nulla lex esse possit nisi quae et satis multis atque idoneis exemplis nitatur nec careat ratione. utrumque vero aut posterius certe hic aliter se habere docere me posse confido. etenim non solum rep. VI 23 quoque corrigit Müllerus edens: *non modo [non] aeternam sed ne diuturnam quidem gloriam adsequi possumus* et cum Baitero duos libros deterioris notae (c, p) sequitur, cum off. III 105 legit: *id autem non modo [non] summum malum sed ne malum quidem esse,* et suspectum habet propter alterum *non* Sull. 26: *si me non modo non rerum gestarum vacatio sed neque honoris neque aetatis excusatio vindicat a labore,* sed etiam parum intellegitur, quid causae sit, quamobrem illud praecipiatur. atque hoc quidem sese fugere Kühnastius quoque Syntaxis Livianae p. 354 professus est, cuius explicationem tamen non magis probo quam quod H. J. Müllerus ad Liv. IV 3, 10 adnotavit praeterea exemplis aliquot ad rem non aptis utens. sed praestat totam causam de integro in quaestionem vocare quam alios refellere.

Neque vero illud negari potest, aliquid veri in ista lege grammatica inesse. nam illa verborum structura ita comprehenduntur quodam modo, quae per 'non modo non — sed ne — quidem (non, neque — neque, nemo, nullus, nihil, vix)' distinguuntur, ut sua sponte cogitatio a priore ad posterius properet et inde negationem petat, quam propter celeritatem quasi translapsa est. sed primum, id ut fiat, non necesse est, quoniam, quamvis usu tritum sit ita loqui, tamen nihil impedit, quo minus etiam incise, ut ita dicam, bipartitam eius modi orationem efferamus, cum maiorem vim habere prius, quod negatur, volumus vocabulum. quare insolentius Ciceronem rep. VI 23 off. III 105 Sull. 26 locutum esse certius statuemus quam ut verba ipsa corrigamus aut in suspicionem vocemus. neque vero quisquam, quod sciam, praeter Müllerum Mur. 8 in his verbis offendit: *atque hoc non modo non laudari sed ne concedi quidem potest,* de quibus cur secus quam de illis iudicandum sit, non video, cum aeque ad finem properet oratio, si verbum infinitum ac si aliud vocabulum ex eo, quod sequitur, suspensum est. sed facilius *non* hic toleratur, quod in verbis id est in nervis cogitationis comparatio fit. neque aliter Caesar loquitur bell. Gall. II 17, 5, si codices non interpolatos testes adhibemus: *quo non modo non*

intrari sed ne perspici quidem posset aut Livius XXXV 46, 13: *nam ipsis certum esse non modo non recipere moenibus, sed ne societatem quidem ullam pacisci nisi ex auctoritate Romanorum.* similis ratio est horum exemplorum: *cum filius non modo non mortuus sed ne natus quidem esset* (Caec. 53) et: *huius rationis non modo non inventorem sed ne probatorem quidem esse me* (ib. 85). deinde non istud caput est, ut verbum, quod dicunt, finitum commune sit duabus partibus sententiae, sed ut in altera insit aliquid, quo necessario negatum illud per 'non modo non' referendum sit. et clarissime quidem hoc elucebit considerantibus, quae Livius IV 3, 10 et 11 sententia simillima, verbis paululum immutatis habet: *en umquam creditis fando auditum esse Numam Pompilium, non modo non patricium sed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum, populi iussu, patribus auctoribus Romae regnasse? L. deinde Tarquinium non Romanae modo sed ne Italicae quidem gentis, Demarati Corinthii filium, incolam a Tarquiniis, vivis liberis Anci regem factum?* evidenter haec veram legem ostendunt, quam Draegerus Syntaxis historicae[2] II 107 tamen non perspexit, cum ad libidinem Livii duplicem illam constructionem revocavit. manifestum est enim 'non modo non Romanum sed ne Italicum quidem' Livium dicturum fuisse, ut paulo ante *non* addiderat, nisi *gentis* vocabulum adhibuisset et in altera parte posuisset, ut ex priore etiam appositum illud *Romani* spectare eo deberet et eadem totius comprehensionis forma evaderet atque I 40, 2: *regnare Romae advenam non modo vicinae sed ne Italicae quidem stirpis,* ubi praecedit, ne quid dubii relinquatur, verbum commune *regnandi.*

Iam si haec duo tenebimus, non mirum videbitur, quod legimus de or. II 294: *ut non modo non abiecto sed ne reiecto quidem scuto fugere videar* aut Verr. II 71: *cognoscite hominis apertam ac non modo non ratione sed ne dissimulatione quidem tectam improbitatem et audaciam.* oratio enim, quamquam facile decurrit, tamen cum pondere ante *sed* insistit, id quod in secundo exemplo, ubi praeter *improbitatem et audaciam* sequitur etiam participium *tectam* ad utrumque membrum pertinens, minus aliquis exspectaverit. quod vero H. J. Müllerus, quasi exceptio sit, laudat etiam Liv. V 38, 6: *ignotum hostem prius paene quam viderent non modo non temptato certamine, sed ne clamore quidem reddito integri intactique fugerunt,* non potuit omnino hoc aliter enuntiari, si quidem verba non uno tenore continuantur, quod duo participia suum quicque nomen sibi adiunctum habent itaque per se ipsa spectari debent.

Venio nunc ad difficultates quasdam tollendas, quibus verba scriptorum his particulis iuncta interdum implicata sunt. et primum occurrit, quod leg. agr. II 56 in libris sic fere scriptum est: *decemviri vestra vectigalia non modo ne vobis quidem arbitris sed ne praecone quidem publico teste vendent?* ubi ineptum illud superius *ne — quidem* quasi postea additum, ne negatio, quae requiri videbatur, deesset, iure meritoque dudum viri docti expulerunt, quamvis acriter A. G. Zumptius repugnet *arbitris* idem quod 'iubentibus' valere contendens, tamquam alius quis atque populus Romanus vectigalia sua id est agros vectigales (cf. Verr. II 7 Pomp. 5, 7) vendere possit aut id omnino hic agatur et non haec sit summa rei, ut publica non in foro sed in provincia veneant. malo autem illos potius quam Halmium aut Müllerum sequi 'non modo non vobis (,Quirites, — Müllerus praeterea pro *quidem* —) arbitris' legentes, cum id aut sic enuntiandum fuerit: 'non modo vobis non arbitris, sed ne praecone quidem publico teste' aut hoc modo: 'non modo nón vobis arbitris sed ne praecone quidem publico'. et videtur quidem hac ipsa disputatione nostra prius illud requiri secundum ea, quae paulo ante de loco Liviano (V 38, 6) exposuimus. sed *arbiter* et *testis* synonyma sunt, velut Verr. V 186 *legum iudiciorum-*

que arbitri et testes coniunguntur, ut non opus sit in 'non' in transeundo ad negationem omisso haerere, cum eadem res sit ac si ita scriptum esset: 'decemviri vestra vectigalia non modo vobis sed ne praecone quidem publico teste (arbitro) vendent?' plus aliquanto Livius sibi indulsit IX 19, 14: *experti tamen sunt Romani Macedonem hostem . . . non modo cum clade ulla sed ne cum periculo quidem suo* et XXXII 20, 7: *haec adhortatio praetoris non modo quemquam unum elicuit ad suadendum sed ne fremitum quidem aut murmur . . . movit.* profecto enim addi debuit negatio, cum oratio non in subsequens aliquid erecta suspensaque sit, sed potuit abesse, quia *ullus* et *quisquam*[1]) satis naturam enuntiati indicare videbantur. neque vero dissimilia haec sunt: IV 21, 6 sq.: *tantum vastitatis in urbe agrisque fecit, ut non modo praedandi causa quisquam ex agro Romano [non] exiret bellive inferendi memoria patribus aut plebi esset, sed ultro Fidenates . . . populabundi descenderent in agrum Romanum* et XXIV 40, 12 sq.: *ut non modo alius quisquam arma caperet aut castris pellere hostem conaretur, sed etiam ipse rex, sicut somno excitus erat, prope seminudus fugiens . . . ad flumen navesque perfugerit.* atque in priore quidem loco *non* in palimpsesto Veronensi deest, et recte deest Madvigio monente Latine non dici 'quisquam non' pro 'non quisquam', quam observatiónem tollere vix potest, quod bell. Afr. 47, 4 invenitur: *non modo sibi quicquam non adquisierant.* bis igitur habemus *non* post *quemquam* omissum, in ipsa autem sententiae conformatione leve anacoluthon est, cum adfirmative oratio pergat, in qua 'ne— quidem' positum iri *quoquam* ante significatum erat. contra mera neglegentia est, quod scribitur XXV 26, 10: *postremo ita adsuetudine mali efferaverant animos, ut non modo lacrimis iustoque comploratu prosequerentur mortuos sed ne efferrent quidem aut sepelirent.* videtur enim menti Livii istius modi quid initio obversatum esse: 'ut non modo lacrimis iustoque comploratu sed omnino mortuos non efferrent'. cum vero usitatum de pompa funebri *prosequendi* verbum in buccam ei venisset, actum est de tota compositione. neque magis probabile videtur quod XXXIV 39, 3 scripsit: *nam propter angustias loci confertamque turbam non modo ad emittenda cum procursu, quo plurimum concitantur tela, spatium habebant, sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conarentur.* sine dubio enim 'spatium non habebant' dicendum erat. sed cum verba, quae sunt: *spatium habebant* antea in fine totius periodi collocare voluisset, postquam haec intercesserunt: *quo plurimum concitantur,* statim in fine prioris membri posuit, ne fracta et elumbis oratio fieret, negationem addere, qua abiecto illo consilio opus erat, oblitus est.

Prorsus nihil autem excusationis habent haec Varronis ex libris de lingua Latina petita: *nunc iam primum dicam pro universa analogia, cur non modo videatur esse reprehendenda sed etiam cur in usu quodam modo sequenda* (IX 2, 7), ubi iam H. Stephanus et Perizonius ad Sanctii Minervam p. 695 ed. 6 contra codicum auctoritatem 'non' suo loco inseruerunt, et paulo post 8, 14: *an, cum quis perperam consuerit quid facere in civitate, non modo patiemur sed etiam poena adficiemus, idem, si quis perperam consuerit dicere verbum, non corrigemus . . .?* atque hic iam in codice B 'non' ab interpolatore adiectum et iam inde ab Augustino vulgo lectum est. neutro enim loco

[1]) Apud Ciceronem non modo eius modi nihil legimus sed etiam semper fere sic: 'nemo, nullus, nihil, numquam, nusquam'. bis omnino 'ullum' pro 'nullo' dixit, si dixit, Mur. 69: *non modo dignitati ullius umquam sed ne voluntati quidem* et leg. III 21: *non modo ulla in domo sed nulla in gente,* in quibus scribendis Müllerus sibi non constat illic cum A. G. Zumptio 'nullius' corrigens, hic cum Vahleno 'ulla' retinens. ac de Cicerone quidem certum sciri nihil potest, Livium utroque modo locutum esse ostendunt 'nemo, nihil' et 'quisquam, quicquam' nullo discrimine usurpata.

neque idem fere in duobus membris enuntiatur neque 'quisquam' aut simile aliquid in priore legitur neque minus accurate Varronem locutum esse ullo modo probari potest. ex quo efficitur, ut emendatione opus sit. quae cum facilis est, tum saepe in his ipsis verbis librarii peccant velut Cic. Quinct. 96, ubi apud Kayserum libros manu scriptos excepto k perperam secutum legitur: *non praetorem modo, a quo ius impetraret, invenire potuit . . . sed ne amicos quidem Sex. Naevii*, et Phil. III 33, quo loco aeque perversum est, quod codex Tegernseensis habet recepitque idem Kayserus cum Orellio contra Vaticanum aliosque: *nullum tempus, patres conscripti, dimittam . . ., quin . . . id non modo recusem sed etiam appetam atque deposcam*, et Rab. Post. 44, ubi Kayserus quoque contra codicum auctoritatem recte scribit: *non modo non aspernari ac refutare sed complecti etiam et augere debetis.* quae cum ita sint, non sine causa, ut etiam duobus illis locis *non* interponatur, flagitare nobis videmur, licet secus C. O. Müllero visum sit, qui in Addendis ad commentarios suos p. 304 diserte sed rationibus non additis negat *non* illud omnino necessarium esse neque fugit vituperationem Madvigii ad Cic. fin. I 10 in altera editione. similiter Ellendtius erravit Cic. de or. I 229 cum parte codicum scribens idque ad § 136 defendens: *non modo supplex iudicibus esse voluit sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam*, cum ceteri subministrent *noluit*, unde facile ad alterum membrum 'voluit' intellegitur.

Longius quam institueram provectus sum, sed restat alterum genus exemplorum, de quo pauca verba facienda sunt. est enim ubi 'non modo' negative accipiendum sit, quamquam non spectat ad insequens aliquod vocabulum. sed semper antecedit negatio quaedam generalis, ut nullo negotio ad 'non modo' simul audiatur 'non'. commune autem verbum prorsus nihil refert ubi collocatum sit. itaque scriptum est Verr. III 115: *quibus nihil non modo de fructu sed ne de bonis quidem suis reliqui fecit* et Cat. IV 19: *id ne umquam posthac non modo confici sed ne cogitari quidem possit a civibus, hodierno die providendum est.* nam posthabendam esse censeo optimorum librorum lectionem *non confici*, quia post antegressam in eodem enuntiato negationem repetito *non* contraria sententia oriretur. ceterum cf. Verr. V 26 Cat. I 25 p. red. ad Quir. 11 Vat. 3. non minus autem commode dicitur Caec. 50 *illud vero nullo modo potest [deiectus] esse quisquam*, — sic enim haec corrigimus delentes *deiectus* tamquam ad *illud* ex eis, quae praecedunt, explicandi causa olim ascriptum — *non modo qui tactus non sit sed ne in aequo quidem et plano loco*, cf. ib. 51 leg. II 13 epist. IV 1, 2 Liv. VI 20, 2. quae duo enuntiata coniungendi ratio quo modo vitari possit, discimus ex Quinct. 71: *non condicio, non sponsio, non denique ulla umquam intercessit postulatio mitto aequa verum ante hoc tempus ne fando quidem audita.* at seorsus duae partes enuntiantur Liv. III 24, 4: *neque fratrem Volscii . . . umquam non modo visum in publico sed ne adsurrexisse quidem ex morbo*, cf. ib. XXXVI 17, 10. verum ne in altero quidem membro negatio semper inest, sed interdum eo quoque generalis illa redundat, ut 'sed' pro 'sed non' sit idque duplici significatione. legimus enim div. II 117: *cur isto modo iam oracla Delphis non eduntur non modo nostra aetate sed iam diu?* ubi verbis extremis et praesens tempus, de quo ante dictum erat, et longum spatium praeteriti designatur. contra Caec. 39: *ne non modo intrare verum aspicere aut aspirare possimus* ipsum *aspicere et aspirare* nedum *intrare* vetitum esse dicitur, ut res eodem redeat ac si esset: *ne aspicere quidem aut aspirare.*

Sed revertor ad eum locum, qui ansam huius disputationis dedit. ibi enim inverso ordine sic legitur: *mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modo non repugnanti* (Parad. II 17). quae verba cum sine dubio hunc intellectum habeant:

'mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, evenerit, cum non modo non repugnem sed ne recusem quidem', *non* post *non modo* propter verba inter se composita secundum ea, quae p. 13 sq. de hac re, praecipue autem de verbo infinito exposuimus, omitti non posse videtur. quamquam permutatione membrorum factum est, ut iam in priore *ne — quidem* illo indicaretur altero quoque negationem contineri. propterea in inversione per se ferri etiam posse censemus: *ne recusanti quidem evenerit, non modo repugnanti.* sed cum libri adversentur, tutius est eo, quod suppeditant non minus probum, adquiescere. eadem causa est secundi exempli, in quo item Müllerus in Philologi tomo XIX 327 et in Jahnii annalium LXXXIX 280 tollit alterum *non*, nos retinemus, non quod necessarium omnino sit, sed quod codicibus traditum est. legimus igitur ad Att. XIV 19, 4: *cui facile persuasi mihi id, quod rogaret, ne licere quidem, non modo non lubere.* cetera eius generis exempla ad hanc similitudinem conformata: *ne sui quidem id volent, non modo ipse* (Tusc. I 92) carent *non* illo neque quicquam memorabile praeterea habent, nisi quod hoc: *numquam ne mediocri quidem cuiquam non modo prudenti probata sunt* (div. II 113) transitum nobis quodam modo ad ea cognoscenda parat, quae pro *ne — quidem* alia negatione in priore membro inverso utuntur. sunt autem haec: *huic paulumne ad beatam vitam deesse dicemus, non modo ad beatissimam?* (Tusc. V 23) id est extra interrogationem: 'huic non paulum ad beatam vitam deesse dicemus, non modo ad beatissimam'. *quos clientis nemo habere velit non modo illorum cliens esse* (Phil. II 107), *nullum meum minimum dictum non modo factum pro Caesare intercessit* (epist. I 9, 21), *nihil habui sane, non modo multum* (leg. III 12), si deteriores libros sequimur nec cum Madvigio 'aut non multum' legere malumus, denique ex certa Mülleri emendatione *modo* inserentis: *vix mehercule servis hoc eum suis non modo vobis omnium gentium dominis probaturum arbitror* (leg. agr. II 22). haec omnia unum *non* in clausula ostendunt. neque id mirabile est, cum non modo 'ne — quidem' nescio an frequentius ita usurpatum hoc per similitudinem facile efficere potuerit sed etiam transpositis membris hae formae inde nascantur: 'huic non paulum non modo ad beatissimam vitam deesse dicemus sed ad beatam', 'quorum nemo non modo cliens esse velit sed clientes eos habere', 'nullum meum minimum non modo factum sed dictum pro Caesare intercessit', 'non sane non modo multum habui sed nihil', 'non mehercule hoc eum non modo vobis omnium gentium dominis sed vix servis suis probaturum arbitror', ex quibus priores tres ad amussim eis respondent, quae paulo ante ex div. II 117 et Caec. 39 exscripsimus, duo posteriores his, quae supra indicavimus: *nullum tibi omnino cum Albinovano sermonem non modo de Sestio accusando sed nulla umquam de re fuisse* (Vat. 3) et: *itaque mihi venire in mentem nihil potest, non modo quod sperem sed vix iam quod audeam optare* (epist. IV 1, 2). pertinet autem in omnibus negatio generalis ad alterum quoque membrum. nam quod hic etiam *nullus* et *vix* apparent, non necesse est bis negari, sed asciscit sibi superior illa negatio pronomen aut adverbium aliquod, quocum in unum coit, sicut alibi et in his et in similibus vocibus fieri videmus. recte igitur concluditur in illis quoque quinque exemplis, de quorum explicatione agitur, inversum *non modo* omni vitio carere. *nihil* autem et *vix* simul in priorem locum migrantibus exturbari simplex 'non' generale ut supervacaneum atque adeo causam errorum non difficile ad intellegendam est.

Sed iam finem disputandi faciam minoribus aliquot emendationibus breviter conscriptis. legimus enim

Verr. I 100: *quod minus Dolabella Verri acceptum rettulit, quam Verres illi expensum tulit*

non *tulerit*, ut etiam postea scriptum est: *quod plus fecit Dolabella Verrum accepisse, quam iste in suis tabulis habuit.*

Ibidem § 110 duabus litteris adiectis: *atque hoc si in posterum edixisses, si minus esset nefarium, tamen esset improbum*, ubi *si minus* coniunctim accipiendum est, ut paulo lenius sit quam 'si non'.

Verr. III 136: *locupletissimus quisque ac certissimus testis est. esset* enim ex coniunctivo *diceret*, qui proxime antecedit, falso ortum videtur.

Leg. agr. II 100: *quare, modo vita suppetat, quam ego summis cogor viribus ab istorum scelere insidiisque defendere, polliceor hoc vobis cet.* certe sententiae satis faciunt duo verba, quae interposui.

Div. II 83 cum Rathio: *non necesse est fateri partim horum errore suscepta* (pro *susceptum*) *esse, partim superstitione, multa fallendo?* aliter enim oratio Latina non erit.

Druck von W. Pormetter in Berlin.